



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXXXII. De Christo ex navicula docente, & de miraculosa  
captura piscium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

qui Christum quærunt, & propter Christum quærunt? vel es inter illos, de quibus S. Paulus Phil. 2. v. 21. ait: *Omnes, quæ sua sunt, quærunt; non, quæ sunt JESU Christi?* Cæterum & tu tale de omnibus iudicium, bonamq; opinionem habeas, qua de omnibus laudabiliter loquaris; & sentias, quòd omnes Christum quærant.

## MEDITATIO CCXXXII.

*De Christo ex navicula docente,  
& de miraculosa captura piscium.*

Luc. 5. à v. 1.

**P**UNCTUM I. Etsi quidam putent, hanc narrationem esse eandem cum ea, quam Matthæus c. 4. à v. 18. & Marcus c. 1. à v. 16. recenset; communior tamen, & longè verior opinio est, esse diversam narrationem; & Vocationem quatuor Discipulorum ad capiendos homines pro piscibus, non hîc primùm factam, sed confirmatam esse. Considera ergo verba Evangelistæ Lucæ: *Factum est* (dum scilicet Christus post Orationem in deserto Galilæam docendo peragravit, ut in fine præcedentis capituli dictum est) *Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum DEI, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, ut lavarent retia. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum, à terra reducere pusillum, & sedens docebat de navicula turbas.* Nempe qui à terra sive ab amore rerum, ac finium terrenorum non est remotus, in hunc turbæ irruunt; dum vel immoderatè, vel nimis anxie curam alienæ Salutis gerit, solum ut

gra-



gratitudinem, laudem, applausum &c. reportet: qui verò nihil terrenum quærit, is pacatè & tranquillè omnia peragit, & quasi sedens ex navicula à terra reductus, turbam importunam docet, sine propria animi inquietudine. Sis ergo semper à terra reductus cum Christo: qui etiam Superioribus potestatis suæ moderandæ pulchrum Exemplum dedit, non pro plenitudine Domini imperans Petro, sed rogans eum, à terra reducere pusillum. Imò etiam piscatores prædicti imitandi sunt; cum enim reti nostræ Conscientiæ, dum hominum piscationi vacamus, multa excrementa terræ, vel frutices soleant adhærere; ideo post piscationem peractam descendere debemus, & lavare retia nostra per Spiritualem Recollectionem, deflentes defectus in piscatione commissos, & animo dimittentes varia phantasmata, & vanitates sæculares ex conversatione cum Sæcularibus sensim contractas.

PUNCT. II. *Vt cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam.* à v. 4. Quia homines piscatione capere, non est artis aut virtutis humanæ; ideo in altum pelagus Divinæ Misericordiæ, & Meritorum Christi, quæ exhauriri non possunt, per Diffidentiam nostrî, & Confidentiam in DEVM ducere naviculam & retia nostra debemus; quos duos affectus insinuavit responsio Petri. Ex eadem etiam colligitur, quàm ad functiones nostras utiliter peragendas proficua sit Subjectio nostrî iudicij, quantumvis in experientia fundati,



dati, atque Obedientia Superioribus in suscipiendis, atque modo præscripto perficiendis functionibus præstita.

PUNCT. III. *Rumpebatur autem rete eorum.* In alia piscatione plurimorum & maximorum piscium (scil. 153.) post Christi Passionem peractâ, Joannes c. 21. v. 11. dicit: *Et cum essent tanti, non est scissum rete;* nempe quia in Verbo & Virtute Meritoria Christi utraque vice laxatum est rete. Prima vice ruptio designabat necessariam adhuc separationem Animæ à Corpore; integritas verò secunda vice stabilem Unionem per Resurrectionem indicabat. Sic omnis nostra piscatio, & felix successus nostrarum actionum tribuendus est Virtuti Christi, cui per Mortem & Resurrectionem data est omnis potestas. Cura quoque, ut Virtute Meritorum Christi, jam immortalis & incorruptibilis redditi, rete tuum non ampliùs rumpatur; nempe ut in captura piscium nihil humanæ fragilitatis admittas; & ut, quos cepisti, etiam conserves, neque velut rupto reti elabi sinas per mala vitæ tuæ exempla.

## MEDITATIO CCXXXIII.

### *De eadem Piscatione.*

Luc. 5.

PUNCTUM I. *Et annuerunt socijs, qui erant in alia navibus, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.* à v. 7. Ecce, solo annutu in auxilium vocati adsunt, & promptè ac amanter conjunctæ operæ æqualem fructum